



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XXXIX. Der Bischof Balduin bestätigt dem Domcapitel die Schenkung der Kirchen in Oehne und Göhlsdorf, am 25. Dezember 1208.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

XXXIX. Der Bischof Balduin bestätigt dem Domcapitel die Schenkung der Kirchen in Dehne und Göhlsdorf, am 25. Dezember 1208.

— Ego Baldevinus, dei gratia Brandenburgensis episcopus — ob spem vite perhenis et ad instantiam dilecti ac fidelis nostri, Brandenburgensis prepositi, ecclesias in villis Oyne et Golystorp, in Juterbuch sitis, ecclesie Brandenburgensi contulimus sub ea determinationis forma, ut sacerdos Regenardus, canonicus sancti Nicolai in Magdeburg, qui nunc eas a nobis tenet, ipsas absque stipendii sui dispendio, quoad vixerit, a nobis teneat, post obitum autem ipsius prefata Brandenburgensis ecclesia possessione et usufructu earum libere gaudeat. — adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt hec: Gunzelinus, prepositus Brandenburgensis et archidiaconus, Baldevinus, ejusdem ecclesie prior, Henricus custos, Rudolphus, cellerarius, Godescalcus, plebanus in Cechow, Hinricus, plebanus in Parduin, et totus ejusdem ecclesie conventus, Daniel, plebanus in Nauen, Theodericus, plebanus in Bredow, Hilduinus, plebanus in Buzow, Baldevinus, plebanus in Prizerve, urbani Brandenburgenses Burchardus de Plotzeke, Rodolphus de Weddinge, Conradus de Stoltenhagen, Hinricus de Stegeliz et alii quam plures clerici et laici. Acta sunt hec in ecclesia Brandenburgensi, anno incarnationis dominice M^o. CC^o. VII^o. indict. XI. concurrente secunda, VIII. Kal. Januarii.

Nach der Copie im Specialbuche.

Anm. Nach der Indiction gehört die Urkunde in das Jahr 1208. Ebenso bei Gercken nach dem Abdrucke nach dem Original in der Stiftsbibl. S. 405.

XI. Markgraf Albrecht II. bestätigt dem Domcapitel alle Besitzthümer und Gerechtsame, am 18. October 1209.

— Adelbertus secundus, dei gratia marchio in Brandeburch. Dignos remuneratione perpetua de domini ac salvatoris nostri Christi Jhesu speramus misericordia, quos caritas ad proximorum maximeque deo militantium invitat et impellit sublevandam necessitatem et inopiam, grandis siquidem contra servos dei lucta preparatur, cum his, qui divinis obsequiis se totos dederunt a bono contemplationis abstracti litibus foralibus adesse compelluntur. Ea propter, ut omnis controversie materia conquiescat, notum fieri dignum duximus tam futuris quam presentibus, quod nos ob spem divine remunerationis ecclesiam cathedralem in urbe Brandeburch a pie memorie rege Ottone in honore dei et beati Petri, apostolorum principis, fundatam et constitutam, modis omnibus exaltare et honorare decrevimus et canonicos ordinis Premonstratensis, qui secundum dei timorem et beati Augustini regulam a Wiggero, bone memorie, Brandeburchensi episcopo, in ecclesia beati Godehardi in civitate Parduin primo fuerant constituti, postea vero a Willemaro, venerabili ejusdem ecclesie episcopo consilio et ope Wigmanni, Magdeburgensis archiepiscopi, atque avi nostri, marchionis Adelberti, nec non et patris nostri marchionis Ottonis cooperante juvamine, in sedem episcopalem urbis Brandeburch sunt transpositi, sicut pie recordationis frater noster marchio, Otto secundus, in suam suscepit defensionem, et nos quoque sub nostra protectione suscipimus eisque omnimodam libertatem, quam clericis imperialis sanctio divinitus per ora principum promulgata promisit seu etiam canonica constitutio contradidit, et